

complexus. Responderunt nostri, quamquam opus non sit, vel integras Ecclesias, vel particulares doctores nominari, qui Lutheranam in omnibus doctrinæ capitibus tenuerint, aut in publicum ediderint confessionem, cum DEO innumeri noti esse possint, quos mediâ in Ecclesiæ corruptione æq; ab erroribus Anti-Christianis, ac olim in Israële septem illa millia, qui, genua coram Baale haud curvaverant, conservare in verâ fide potuerit, non deessetamen in ipso Papatu, quos tanquam religionis Lutheranae testes vel in omnibus doctrinæ Christianæ, ad salutem necessariæ, partibus, ceu in primorum seculorum scriptoribus, quos patres vocamus, vel in præcipuis fidei articulis, Pontificiæ confessioni oppositis, ceu in seqviorum seculorum auctoribus, laudare possim. Ex quo vis veritatis, quæ latere non possit, cognoscatur, desumaturq; præsumptio, si major ipsis concessa fuisset libertas, futurum fuisse, ut veritatem pleniori mensurâ admisissent. Cui fini omnium primus *Matthias Flacius Illyricus* ingenti operâ & Herculeo labore, perreptatis & excussis Germaniæ Italiæq; Bibliothecis, (2.) *Catalogum testium veritatis* confecit, tanto in pretio habitum, ut vel decies recuderetur. De quo *Flacius* ipse in Præfatione: *Ob hoc ipsum in hoc scripto omnes eos, quantum quidem fieri potuit, collegi, qui aliquo modo testimonium ante Lutherum veritati Christi contra errores & furores Anti Christi dederunt, adversariorumq; erroribus, officii neglectioni & perditissima vita contradixerunt, ut re ipsâ ac experientiâ ostenderem, semper fuisse multa piorum millia, quæ aut ab omnibus aut à plerisque erroribus Romani Baalis abhorruerint, eis contradixerint & ad Dominum ardentem pro libera-*

(2.) Apud Melch. Adam, Vit. Theol. p. 475.